

1510 apud Corcyrenses navem omnibus cum mercibus Genu-
ensium internuncio tradi mandaverunt . Idem Patres ,
quod Lucii timore atque ignavia hostibus elapsis pulcher-
rimam Veronæ capiendæ occasionem turpiter amiserant ,
*Franciscus
Gonzaga
Veneti exer-
citus impe-
rator
III. non.
sept.*
indignabundi de Julii consilio , qui Romam redierat ,
Franciscum Mantuanorum principem suarum copiarum
omnium imperatorem faciunt , eodem fere Senatusconsulto ,
quo antea quamhonorificentissimo fecerant . Is cum
imperium non modo libentissime , sed etiam hilariter , ut
videbatur , accepisset , deque eo immortales gratias Sena-
tui egisset , seque ad exercitum atque ad legatos brevi
iturum recepisset ; dum equites cogere , dum comparare
se se per literas perque suos interpretes ad urbem s̄ape
missos certiores Patres facit ; cum etiam contra priorem
animi sui alacritatem Senatusconsulto non contentus du-
riores reipublicæ conditiones interponit : pedem Mantua-
nusquam protulit . Interim Troilo Sabello , de quo supra
dictum est , equites gravioris armaturæ centum , levioris
qui sagittis uterentur alteri totidem a Senatu traditi : Thra-
cisque hominis , qui equites levissimos ducentos in Epiro
paratos habebat , oblatio accepta ut reipublicæ militiam
facerent , auri semuncia ipsis singulis in menses singulos ,
eorum præfectis uncia cum sextante in stipendum consti-
tuta : jussique quamprimum concendere . In Forojuliensi-
bus autem cum hostes cogi , ut in eos impetum face-
rent , undeque , dicerentur , Joannes Viturius , vir ma-
gni animi , qui in Saciliensiis magistratum gerebat , ad
illos legatus est a Senatu missus .

*Veneti Vero-
nam iterum
frustra op-
pugnant .*

Julius iterum Roma per Flaminiam profectus a Spo-
leto in dexteram flectens ad templum Lauretanum se con-
tulit , ibique in Virginis ædicula sacris a semet peractis ,
Anconam venit , ut Bononiam ad bellum , quod cum Al-
fonso gerebat , administrandum procederet . Legati Vene-
ti & Lucius præfectus in campis Martinianis recenso exer-
citu , tormentisque a Lactantio , qui eorum curam gere-
bat , ad Veronæ muros positis , eos dejicere oppidi ca-
piendi spe adoriuntur . Id cum dies aliquot fecissent , par-
tem-